

matrimonio dōs uxoris. *l. 75. de jur. dot.* ac proprium illius patrimonium esse dicitur in *l. 3. §. 5. de miror. l. 16. de relig. & sum. fur. l. 4. de collat.* & naturali ratione in uxoris dominio manere censetur. *l. 30. C. de jur. dot.* atque propterea ipsa in *b. l. n.* pro immobilium possessore habetur. Enimvero cum fundus non semper uno eodemque modo in dotem dari soleat; sed interdum inæstimatus; interdum vero æstimatus; & quidem vel taxationis gratia; vel venditionis causa: haud immerito quaritur; an *b. §. 3.* decisio indifferenter, & omnibus in casibus procedat; Verba quidem *b. §.* sunt generalia. Verum cum fundus venditionis gratiæ æstimatus, irrevocabiliter transeat in maritum; ac per illam æstimationem vera contrahatur venditio. *l. 10. §. 4. ff. de jur. dot.* ita ut magis pretium, quam ipse fundus in dotem datum videatur, nec hic fundus proprie dotalis dicatur. *l. un. §. 15. C. de rei ux.* merito de hoc casu, an in illo *L. nostræ* decisio locum habeat dubitatur. Idem dicendum esse existimo, si tertius pro uxore dotem constituerit, & illam sibi soluto matrimonio restitui stipulatus sit. Cessat enim & hic ratio, propter quam uxor ab hac cautione liberatur. Matrimonio enim soluto, ipsa de hac dote consequitur nihil, sed constituens illam actione ex stipulatu repetit. *l. un. §. 13. C. de rei uxor. act.* Quod tamen secus est, si extraneus constituens, in ipsa dotis constitutione, in specie & expresse dotem sibi restitui pactus vel stipulatus non sit. Tunc enim supra adductæ rationes non minus locum habent, ac si fundus ab ipso uxori in dotem fuerit datus. Extraneus siquidem illum uxori donasse videtur; unde ipsi soluto matrimonio ad illum repetendum competit actio

C

actio